

QK.182.7

V
970

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA,
DE
RESTRICTA
PER JUS SAXONICUM
MULIERUM IN RES SUAS
POTESTATE,

2 VAM
MAGNIFICO UNIVERSITATIS RECTORE
REVERENDISSIMO ET PIRILLUSTRI DOMINO

DOMINO

DN. JO. JOACHIMO HAHN,

DEL & Apostolice Sedis Gratia Episcopo Metropolitano,
Per Thuringiam, Hasham & Eichsfeldiam, Eminentissimi ac Celsissimi Archiepiscopi & Principis
Electoris Moguntini in Pontificalibus Vicario Generali, ejusdemque Archi-Episcopalis Curia
Pro-Vicario Generali, ss. Theologiae & Juris Utriusque Doctore, Protonotario Apostolico
Comite Palatino, Insignium Ecclesiasticorum Collegiarum ad Gradus B. M. V. & ad s. Joannem
Moguntiae respective Scholastico, Canonicu Capitulari, &c reliq.

ANNUENTE AMPLISSIMO ICTORUM ORDINE
IN ALMA ET PERANTIQUA HIERANA,

EJUSDEMQUE

AUDITORIO COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSVETIS
DIE XX. NOVEMBRI, ANNO MDCC XXI.

PRO LICENTIA
SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES,

NEC NON

PRIVILEGIA DOCTORALIA LEGITIME CONSEQUENDI,
PUBLICE DEFENDET

JOANN. GODOFREDUS Fischer/
Lipsiensis,
Advocat. Immatric.

ERFORDIAE, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.




PER-ILLUSTRIS
GENEROSISSIMO ATOVE EXCELLEN-
TISSIMO
DOMINO
**DN. ADAMO HEIN-
RICO BOSEN,**
POTENTISSIMI REGIS POLONIÆ ELE-
CTORISQVE SAXONIÆ
Copiarum pedestrium
GENERALI LOCUMTENENTI,
Dynastæ in Mælbuſ & Tragis & reliqua,
DOMINO SUO GRATIOSO,
MECÆNATUM SUORUM MAXIMO

Qualecunque hoc Specimen Academicum
in specimen publice testificanda,
Quam animo dudum concepit,
submississimæ venerationis,
Pro innumeris beneficiis, per quam gratiōse imprimis sibi demandato
Administrationis Justitiæ munere,

Humillima observantia

D. D. D.

Devotissimus cliens
Dissertationis hujus
AUTOR,



Q. D. B. V. IN INU
INAUGURALIS
DE
RESTRICTA, PER JUS SAXONICUM,
MULIERUM IN RES SUAS POTESTATE.



Nsignia omnino sunt privilegia, queis Jus civile sexui sequiori abunde prospexit, quod nemo, credo, in dubium ullatenus vocabit, qui vel leviter animum adverterit ad ea, quæ per SCtum illud famigeratissimum Vellejanum; &c. quæ intuitu dotis, donationis item liberis factæ, nec non debitæ ipsis alimentationis non nisi subsidiariæ, ut alia taceam, in mulierum favorem disposita sunt. Quis enim nescit, horum vigore mulierem ex fideljusione regulariter non teneri, t.r. f. S. C. ad SC. Vellej. res quasvis valide liberis suis donare posse, Nov.

217. c. i. cum ē contrario non subsistat donatio à pa-
tre in filium familias collata, L. 11. C. de donat. L. 25.
C. de don. int. Vir. & uxor. item 13. C. de collat. matrem
denique non nisi in subsidium ad alimentationem li-
berorum teneri, quando nimis pater propter ino-
piam liberis alimenta subministrare nequit, L. 8. ff. de
lib. agnosc. Auth. si pater C. de divort. fact. imò, quod
inde consequitur, alimentationis impensas in dicto ne-
cessitatis casu insumitas, matrem à patre, puta ad pin-
giorem fortunam perveniente, repetere posse, L. 5.
§. 14. ff. de agnosc. lib. & L. 34. de negot. gest.

§. II.

Quantacunque autem sint hæc & alia plura, bre-
vitas studio hic prætereunda, mulieribus ab ipso Ju-
re civili concessa privilegia, nondum tamen iisdem
sequiori sexui prospectum ejusdemque imbecillitati
consultum satis esse existimarentur Juris Saxonici Con-
ditores, nisi luculenta accessione eadem augerent.
Hinc sanctum fuit, ne mulieres ullo modo sine ma-
riti vel alterius cuiusdam curatoris consensu contra-
here, se obligare, aut in Judiciis versari possent, Conf.
Electoral. P. II. const. 15. & Möller. itemque Carpz. ibid.
quod sane de jure civili longe fecus est, utpote vi e-
jusdem mulier majorenxis inscio etiam marito & abs-
que ullius alterius curatoris interveniente autorita-
te valide contrahere, res suas pro lubitu alienare, op-
pignorare, donare inque judicio versari potest, L. 6.
C. de rev. don. L. 12. C. de pignor. Nov. 134. §. 9. porrò
constitutum fuit, ut nec per substitutionem pupilla-
rem expressam mater à legitima in bonis liberorum
exclu-

excludi posuit, *Const. Elector. P. III. const. 8. apud Carp-zov.* & Möller. ut sicco præterea pede celeberrimum illud Jus Geradæ, qua barbara voce (procul dubio ex Germanorum Gerathæ oriunda) certa quædam utensilia muliebria designantur, & quæ alia sunt ejusmodi singularia fœminarum jura consuetudine partim, partim expressis Constitutionibus Saxonice mulieribus indulta, & apud DD. Saxonicos, Möllerum, Berlichium, Carpzovium, aliasque passim obvia.

§. III.

Qui hæc nova Mulierum privilegia Saxonica considerat, facile adducetur, ut credat, meliorem longe de jure Saxonico esse mulierum conditionem, quam de jure civili; verum enim verò sententiam suam haud difficulter mutabit, simulac etiam sibi ob oculos posuerit odiosa illa non pauca, quæ in dicto jure Saxonico intuitu mulierum constituta deprehenduntur. Mei haud est propositi eadem singula persequi, præsertim cum Carpzovius in *dispp. suis de fœminarum iuribus singularibus*, una cum favorabilibus illa collegerit & pertractarit, sed unicum ex ipsis mihi pro hujus dissertationis argumento selegi considerandum, quod mea quidem de sententia non immerito quis (ceu Aristoteles olim mortem omnium terribilium terribilissimum vocavit) omnium odiosoruū odiosissimum appellaverit, *admodum Restrictam videlicet mulierum in res suas potestatem.*

§. IV.

Nimirum cum alias de jure civili quilibet rerum suarum liber sit moderator & arbiter, aliud longe obtinet

finet intuitu foeminarum de jure Saxonico, ex hujus enim singulari plane dispositione regulariter uxor contra mariti consensum nihil ex rebus mobilibus, licet etiam omnia ipsius bona ex iisdem constent, quocunque modo alienare, aut in aliud transferre, sive per contractum, sive per testamentum, sive donationem inter vivos, aut mortis causa, permisum est. Vid. *Const. Elec& Part. III. c. 7. ad eamque Carpz. def. 1. 2. 3. 4.* Idemque in *Resp. Libr. 5. Resp. 24. n. 2. & 3. it. Resp. 10. ad n. 23. Zobel in addit. ad Landrecht Libr. I. art. 31. lit. e. Phillipi ad Decis. Electoral. Saxon. XXIV. Obs. 4.*

§. V.

Ortum autem hæc Juris Saxonici constitutio habet ex alia ejusdem juris Constitutione, successionem conjugum mutuam stabiliente, & uxori quidem quartam universæ hæreditatis prædefuncti mariti in casu relictorum liberorum, alioquin autem trientem assignante, ita tamen ut ipsa conferre teneatur in utroque casu bona omnia, sive illata, sive constante matrimonio acquisita *Const. 20. P. III.* maritum autem hæredem mobiliarem, qui etiam hæres statutarius nominatur, uxor faciente. Quemadmodum vero expediti juris est, portionem statutariam alterutri conjugum ex bonis prædefuncti debitam testamento, atque consensu, auferri haud posse, *cap. Raynurius 16. in med. vers. precepit etiam idem judex. X. de test. it. Nov. 22. cap. 33.* non poterat non Legislator Saxonicus prohibere, ne uxor bona sua mobilia in aliud, sive per testamentum, sive donationem mortis causa, aut alias ultimæ voluntatis speciem transferret, *Weisenb.*

senb. in addit. ad Schneidevini Comment. in Inst. §. 12. de
legat. n. 12. lit. b. Heig. P. 2. qu. 15. n. 2. & 3. Rauchbar.
P. I. qu. 39. n. 2. & seqq. Reusner. de testam. P. 2. cap. 33.
n. 11. unde tandem prono alveo sequebatur constitu-
tio, uxori omnem facultatem, mobilia quacunque ra-
tione, etiam ante mortem alienandi auferens, Glof-
fa Lat. ad Text. Germ. in Landr. lib. 1. art. 31. lit. E. Möller
ad Const. 23. n. 11. P. 3. Berlich. Part. 3. concl. 9. n. 22. ne
nimirum, quod una via prohibitum est, alia vi cen-
seatur permisum, L. 13. §. si mater ff. de excusat. tutor. L.
3. §. 10. ff. de honor. possess. contra tabb. maxime cum ar-
gumentum ab ultimis voluntibus ad contrarius ne-
gative conceptum in jure habeatur validissimum, E-
verh. in topic. loc. à contrar. adult. volunt. 36. num. 2.

§. VI.

Dixi superius mulieri nec in eo casu, quo non
alia bona, quam mobilia possidet, in ulla eorundem
parte testandi, aut etiam ante mortem alienandi facul-
tatem relictam esse; sed dissimulare nequeo, hic dis-
sentire Berlichium, utpote cui id adeo durum visum
fuit, ut putaverit tali in casu uxorem non prohiberi
de parte etiam bonorum mobilium testari, P. 3. Con-
clus. 9. n. 15. nec rationes ipsius, quas huic sententiæ
suæ substernit, sunt de nihilo; primo enim contraria
sententia uxori liberam testandi facultatem aufert, ju-
ra autem eam alicui auferri omnino prohibent, L. 1.
C. de SS. Eccles. L. 61. ff. de V. O. ne quidem singulari
Principis privilegio, L. 43. ff. de vulg. & pupill. aut ejus-
dem rescripto, Alex. consil. 15. n. 6. vers. & rescript. prin-
cip. aufer. deinde statutum alicui ex bonis alicujus
quan-

quandam portionem deferens ita intelligi debet, ne ei, ex cuius bonis portio illa debetur, libera testandi potestas auferatur, Paul. de Castro in L. 22. p. 2. ff. solut. matrim. n. 11. sub f. Wesenbec. ad tit. ff. unde Vir & uxor.

§. VII.

Equidem refutare has rationes conatur Carpzovius, restringendo assertum Berlichii, de non auferenda cuiquam libera testandi facultate, ad personas privatas, dicendoque, licet non directo & per pactionem privatam id fieri possit, nihil tamen obstare, quo minus id fiat per indirectum & quandam consequentiam, vel etiam per modum condendæ legis, quorsum allegat L. 22. ff. de Adopt. L. 8 §. 15. ff. de inofficiose testam. & Auth. ingressi C. de SS. Eccles. sed si fatendum, quod res est, hæ responsiones non enervant rationes Berlichii, quod enim attinet assertum prius, per indirectum & quandam consequentiam aliquem privari posse libera testandi facultate, (e. g. per æs alienum, quod utique liberam testandi facultatem restringit ad eam portionem, quæ deducto ære alieno remanet) id facile salva sua sententia largiri poterit Berlichius Carpzovio, cum hic non agatur de indirecta ablatione libere testandi facultatis, sed ditecta.

§. VIII.

Quod vero secundum Carpzovii assertum spectat, de auferenda nimirum, autoritate legis publicæ, dicta testandi libertate, illam nulla allegatarum ab ipso legum probat, nec enim L. 22. de Adopt. nec L. 8. de inoff. test. vel explicite vel implicite illud statuit, nec etiam alle-

allegata *Authent.* id ipsum evincit, licet majorem habeat speciem, eo, quod exemplum afferre videatur directo ablatae facultatis testandi, in monasterium nempe ingressorum, qui testari non possunt, sed simul ac adducta inibi ratio, cur tales testari nequeant, perpenditur, illico patet, nec hanc *Authenticam* ulla-
tenus probare, quod autoritate Principis vel legis fa-
cultas testandi tolli possit, ob id enim inibi testari non
posse monasterium ingressi dicuntur, quod ipso in-
gressu se suaque Deo dedicaverint, nec rerum olim
suarum amplius Domini sint. Et licet vel maxime
ex allegatis à Carpzovio LL. id, quod intendit, proba-
ri posset, incubuisset tamen adhuc eidem conciliare
easdem cum allegata à Berlichio & ab ipsomet Carp-
zovio repetita L. 43 ff. de vulg. & pupill. de qua tamen
conciliatione altum apud ipsum l.c. est silentium, nec
verbulo in responseone sua ad Berlichii rationes men-
tionem ipsius facit.

S. IX.

Interim non nego sententiam Carpzovii obser-
vantia esse approbatam, licet cum Berlichio plures a-
lii DD. Saxonici haud infimæ notæ faciant, ab ipso
etiam d.l. allegati, nimirum Rauchb. qu. 39. n. 2. vers.
nisi præter mobilia. Beust. de Connub. part. 2.c. 67. Schultes
in add. ad Modest. Pift. q. 48. n. 32. Coler. decis. 217. n. 1.
& sequ. part. 1. In eo autem difficultatem ipse repe-
rit Berlichius, quod nullibi in jure Saxonico definitum
sit, quanta bonorum portio in casu proposito liberæ
uxoris dispositioni relictæ, nihilominus tollere se ean-
dem posse confidit, afferendo trientem in casu, quo

B

non

non nisi immobilia possidet uxor, liberæ ejus disposi-
tioni subjacere, cui opinioni suæ hoc fundamenti ló-
co substernit, quod indubitatum sit, in casu, quo mu-
lier omnia sua bona habeat in mobilibus, marito ea
integra non deberi, sed liberis ex illis legitimam de-
trahi, ita, ut illa legitimia, quasi tertia pars bonorum
mobilium, in libera potestate uxoris relictam censeatur,
& eam uxor pro libitu, cuicunque velit, conferre
possit, quorsum allegat Gl. Lat. ad text. German.
Landr. lib. 1. art. 27. lit. E. it. ad Libr. 1. artic. 37. & ad Lib.
3. art. 76. lit. B. denique etiam varios Autores, nimi-
rum Coler. decis. Germ. 57. P. 1. & decis. 286 part. 2. & de
Process. Execut. P. 1. c. 3. n. 247. Möller ad Const. Sax. P. 3.
c. 22. Heig. qu. 24. P. 1. n. 7. & seqq. Pingiz. qu. 29. n. 6.
Rauchb. P. 2. quest. 17.

§. X.

Sed non satis sibi ipsi constare videntur hæc ad-
ducta verba Berlichii, primo enim asserit, in casu, quo
omnia uxoris bona in mobilibus consistunt, marito
ea integra non deberi, sed liberis ex illis legitimam de-
trahi, deinde subjungit, hanc ipsam legitimam li-
berorum in libera potestate uxoris relictam censi-
ri, ut ipsa eandem pro libitu, cuicunque velit, confer-
re possit, quæ duo asserta autem adversa fronte sibi
invicem pugnant, legitima enim liberorum, eo ipso,
quod est legitima, liberis adimi, extra casum
justæ exhæredationis, de quo hic non est sermo, nul-
latenus potest. Dum autem porrò hanc legitimam,
quasi tertiam partem mobilium uxoris, appellat, quid
sibi hoc ipso velit, me fere penitus nescire, ingenue
fateor.

noti

fator. Primo siquidem nullum plane adducit fundamentum, cur illa legitima tertia pars esse debeat, quod tamen sibi hic probandum proposuit, autores enim ab ipso allegati omnes ac singuli hoc solummodo tradunt, liberis legitimam etiam ex mobilibus deberi, nullus vero ipsorum legitimam hanc tertiam partem facit, quod nec in ullo textus Juris Saxonici fundatum est.

S. XI.

Deinde ipse Berlichius subdubitare videtur, an illa legitima tertia pars esse debeat, eo, quod eam saltem *quasi tertiam partem* vocat, *quasi tale* enim opponi solet *veretoli*. Satis igitur apparent Berlichium, difficultatem sibimet ipsi propositam, tollere haud posse, dum nulla plane ratione, neque ex ipsis Constitutionibus Saxoniscis, neque ex DD. ejusdem quantitatem legitimæ, liberis ex mobilibus debitæ, demonstrare valuit: & si vel maxime id etiam præstisset, parum tamen lucratus fuisset; qualis enim consequentia esset, a quantitate legitimæ liberis debitæ ex bonis defunctæ merè mobilibus, ad quantitatem portionis, in quam liberam ipsa facultatem disponendi juxta Berlichium habere debet. Dum adeò Jus Saxonicum ejusve DD. nullibi determinant quantitatem portionis modo dictæ, & cæteroquin successionem marito in omnia prædefunctæ uxoris mobilia tribuit, ingenuæ potius fatendum jus Saxonicum contrariari hoc in passu juri civili, & in casu, quo non nisi mobilia possidet mulier, eidem o-

mem testandi facultatem adimere, quam frustraten-
tata conciliatione oleum & operam perdere.

S. XII.

Restrictam admodum in res mobiles suas mulie-
rum potestatem brevisimis haec tenus consideravi, se-
quitur, ut dispiciam, in quantum illa intuitu immo-
bilium restricta sit. De his, quod liberè testari, ut &
mortis causa donare possit, extra controversiam pos-
tum est, siquidem nullibi in Constitutionibus Saxon-
icis id facere prohibetur, imo potius eō ipso, quo ei-
dem saltem libera dispositio de mobilibus interdicitur,
manifesto satis permittitur. Non autem æque ex-
peditum est, num absque mariti consensu eadem alien-
nare possit: etenim hic quoque in diversa plane abe-
unt primarii DD. Saxonici, siquidem Möllerus & Ber-
lichius affirmativam defendunt, ille in Comment. ad
Const. 15. P. II. n. 3. & lib. I. Semestr. c. 35. n. 1. hic au-
tem *Conclus. 17. P. II.* Carpzovius econtrario def. 25.
ad dij. *Const. 15. P. II.* item *Resp. 24.* Lib. VI. cum Pen-
foldo in addit. ad *Coleri part. II.* *Decis. 286. n. 184.* &
Rauchb. part. 2. qv. 34. n. 45. nec non *Wesenbecio P.*
I. Consil. 25. n. 15. it. ad ff. de fundo dotali num. 7. nega-
tivam tuetur.

S. XIII.

Rationes pro affirmativa adeo plausibles addu-
ci possunt, ut eandem amplecti nullus dubitarem, ni
obstare viderentur verba illa in Landr. L. I. Art. 31.
Kein Weib mag ihres Guths ichtwas vergeben, ohne
ihres Mannes Willen, daß er es durch Recht leiden
darf ic. & in Art. 45. ejusd. Lib. I. Ein Weib mag auch
ohne

ohne ihres Mannes Urlaub ihr Güthe nicht vergeben,
noch ihr eigen verkauffen &c. Ubi aperte admodum
generaliter plane uxori alienatio bonorum absque
consensu mariti interdictitur, quorum generali adeo
appellatione etiam immobilia comprehendi nemo fa-
cile inficias ibit propter L. 8. f. de Publ. in rem actio-
ne & L. I. §. 1. f. de Leg. præst. hi textus utique me re-
trahunt, quo minus affirmativæ calculum meum ad-
jiciam, quam cæteroquin, tanquam longe melioribus
rationibus nixam, adoptaturus fuisset. Primo enim
parum interesse videtur mariti, num immobilia uxo-
ris alienentur, nec ne, quippe quæ, eadem defun-
cta, non marito, sed hæredibus uxoris cedunt; de-
iude quod maximum est, non potest non è re ma-
riti esse talis alienatio, cum hac ratione mobilia uxo-
ris haut parum augeantur, & proinde ipse longe
opimorem hereditatem exspectare potest, quam si
talis alienatio facta non fuisset, siquidem eo in casu,
neque ipsum immobile, neque quicquam de pretio
ipsius sperare potuisset.

S. XIV.

Objicit quidem Carpzovius l. c. hac ratione
uxorem pro lubitu maritum usufructu, qui ipsi in
immobilibus haud minus quam mobilibus competat,
privare posse, cum tamen proprietario nunquam in-
tegrum esse debeat, usufructuario, vel usumfructum
intervertere, vel in utendo fruendo illum turbare,
L. f. §. II. & ult. f. si ususfr. petatur. Ast responderi
facile potest Carpzovio, maritum in ejuscemodi casu
alienationis immobiliū nullatenus lädi, siquidem

B ,

loco

loco ususfructus rei immobilis, ipse pecuniâ uti frui potest, & forsan eâ ipsâ, præsertim si mercaturam exercet, longe majorem acquæstum uno anno sibi parare, quam per plures annos percepto usufructu rei mobilis, neque in elocanda pecuniâ iis impensis opus habet, quæ ordinarie ipsi pro conservandâ re immobili, ut solvendas contributiones, nec non alia onera & incommoda taceam, quotannis erogandæ sunt. Quod si Carpzovius de eo saltim casu loqueretur quo uxor eo fine, non solum non consentiente, sed etiam plane inscio marito, vendere, pecuniam intervertere & pro lubitu suo dilapidare intenderet, tum objectio ipsius, quæ fundamentum apud ipsum constituit sententiæ negativæ, locum omnino haberet, sed indistincte certe dictam negativam confirmare haud potest.

S. XV.

Minoris adhuc videtur esse momenti, quod ulterius affirmatiæ opponit Carpzovius, nimisrum, quod de jure Saxonico maritus sit tutor uxoris, Landr. lib. 1. art. 45. & lib. 3. art. 45. Coler. P. I. Decis. 66. n. 3. Rauchb. P. I. qu. 2. n. 39. absque consensu vero tutoris alienatio facta invalida sit, prout dilucide apparet in pupillo & minore, qui curatorem habentes ob id neque alienare, neque obligari absque interveniente curatoris autoritate posint, per L. 9. in pr. f. de tutor. Tutor. & Cur. L. 189. f. de Reg. Jur. L. 3. C. de integr. ref. nulla enim est consequentia, si mulier non potest absque consensu curatoris immobilia alienare, ergo etiam id fieri nequit sine consensu mariti, potest enim

enim præter maritum, quod teste experientia toto die fieri solet, alium curatorem habere, nec enim affirmativam sequentium hæc mens est, quasi absque ullius curatoris autoritate interposita, mulier valide immobilia alienare posse, sed ejus necessitatem ambabus largiuntur, non id tamen, quod hic curator non aliud posse esse quam maritus. Interim lubens concedo Carpzovio, sententiam negativam in praxi esse receptam, & textibus juris Saxonici, uti jam supra confessus sum, conformem, saltem pace Lectoris ea, quæ in rationibus Carpzovii, quas pro urgentissimis habet, desiderari posse videbantur, hac occasione monere volui.

S. XVI.

Ex haec tenus dictis elucescit, quod non solum in res suas mobiles, sed & immobiles restricta admodum sit in Saxoniam mulierum potestas, haud parum tamen deterior ipsarum conditio intuitu mobilium quam immobilium deprehenditur. Multum adeo ipsarum interest determinari, an res aliqua mobilibus an immobilibus accensenda veniat, quod nonnunquam certe dubio vix caret, quam clara etiam alicui videri posset distinctio rerum in mobiles & immobiles, perspicuaque utrarumque definitio, qua illæ tales esse dicuntur, quæ salva sua substantia loco moveri possunt; hæ autem, quæ talem loci mutationem citra sui destructionem, vel saltim deteriorationem neutiquam patiuntur. Incongruum igitur minime reputo, si de nonnullis earum rerum, de quarum specie, mobiles-

ne

ne an immobiles sint, DD. contentionis ferram reciprocant, hic quoque paucis dispiciam,

cuiuslibet iuris sive de iure usus et abuso. S. XVII.

Mirum non immerito alicui videri posset, non nullos esse, qui ipsas merces, quæ negotiationis objectum sunt, in tabernis reconditas pro immobilibus venditent, pro confirmanda sententia sua adducentes L. 34. pr. f. de pign. & hypoth. L. 79. ff. de Judic. L. 62. §. 2. ff. de usū & usuf. leg. verum si res penitus consideratur, paradoxa hæc sententia in nulla harum LL. stabile reperit fulcrum. Siquidem, quod attinet L. 34 pr. f. de pignor. illa solum disquirit, an appellatione tabernæ, quæ creditori pignori data est, merces in eâ reconditæ simul oppignoratae intelligantur, idque affirmat, pretulposito taberñam esse talem quæ per se oppignorari nequeat e. g. in solo publico posiram, aut à publico conductam, vid. Gothofr. ad b. L. 44. s. sed inde non conficitur, merces in tabernæ repertas pro partibus tabernæ & adeò rebus immobilibus haberi. Verbo, si quis tabernam talem pignori daret, aut dolose plane se egisse, aut se metonymice locutum esse, continens pro contento sumendo, fatendum ipsi esset; L. 76. ff. de Judic. adhuc minus id probat, quod probari per eam intenditur, si quidem illa hoc tantum docet, quod partibus licet commutatis nihilominus eadem res maneat, unde certe concludi nulla specie potest, rem manentem inter immobiles referendam esse. S. XVIII.

Denique nec L. 32. §. 2. ff. de usū & usuf. leg. id nunc quam

quam probabit, licet hoc persuasum sibi habeat Cole-
rus de Processu Exec. P. II. cap. 3. n. 6. dum ex eadem ex-
sculpere conatur, merces & alia venditioni destinata
non venire appellatione mobilium, quantum enim
fallatur appareat, simul ac casus h. l. contentus atten-
tius non nihil perpenditur. Relictus nimirum erat
uxori ususfructus domuum & omnium rerum, quæ
in domibus erant, quæsum fuit, an sub hoc legato
etiam lanæ venditionis causa paratae & purpuræ con-
tinerentur, quæ in legatis domibus essent. Negat
hoc JCetus, suam autem decidendi rationem non in
distinctione rerum, an mobiles an immobiles sint,
fundat, sed in voluntate testatoris, quem de his le-
gandis, quæ venalia ibi essent, non sensisse scribit
sequ. §. 3. atque hoc inde verisimile redditur, quod res
certo loco demonstraverit, vers. quæ in his omnibus e-
runt. Ubi autem legantur mobilia certo loco demon-
strata, veluti domus vel fundus cum iis, quæ ibi sunt,
ibi neque merces venales, neque pecuniæ, neque a-
nimalia continentur, L. 41. §. 5. L. 44. L. 79. §. 1. ff. de
Leg. 3. L. t. C. de V. S. Patet igitur nec hanc L. 32. ff.
de usu & usufr. rem manentem pro immobili decla-
rare.

S. XIX.

Porro de molendinis navalibus adhuc major est
dissensus apud DD. an illa rebus mobilibus an im-
mobilibus accensenda sint. Posterius statuunt Finkel-
thaus disp. Feud. 3. contr. 20. Hering. de molendinis qu.
8. n. 16. Hahn ad Wesenbec. tit. de R. Dic. n. 4. Struv.
in Synt. J. Feud. c. 6. ib. n. 6. & in Synt. Jur. Civ. Ex-
ercit.

erc. 45. *ib.* 104. & quidem ob duplicem rationem, pri-
mo nimirum, quia eorum usus, non sicut navium, con-
sistat in eo, ut de loco in locum moveantur, sed, ut
subsistentia in certo loco, eundem, quem aliae molæ,
quas aquæ versant, præbeant usum; deinde quoniam
funibus aliisque mediis firmiter terræ alligari soleant.
Sed non obstantibus his rationibus contrariam sen-
tentiam fovent Ludvvell. *Exerc. Justin.* V. *th.* 1. *tit. c.*
& in *Syntagn. jur. feud.* c. 12. p. 251. Colleg. Argentor,
tit. de Rer. civ. *ib.* 56. Willenb. *ad ff. Disp.* 23. *ib.* 25,
in *f.* Arumæus *Disp. Feud.* 4. *th.* 8. Berlich. *P. III. Con-*
clus. 30. *n.* 12. Carpz. *P. 3. Conf.* 24. *def.* 8. *n.* 3. Richter.
Vol. 2. Conf. 334. *n.* 3. quibus & ego calculum meum
adjicio, adductus tum ipsa rei evidentia, tum *L.* 60. *ff.*
de A. R. D. junctâ L. 18. *pr. ff. de Act. Emti. Venditi.*
Quemadmodum enim granaria, sive horrea frumenta-
ria ex tabulis ligneis facta mobilia nequaquam solo
cedunt, quamvis ei sint inædificata, nisi & stipites eo-
rum in terrâ fuerint defossi; ita nec molendina na-
valia, licet funibus terræ sint alligata, pro immobili-
bus haberi debent, cum facile salva & integra de lo-
co in alium transvehi locum, ibique usui esse pos-
sint.

§. XX.

Quamvis autem item de molis alatis, quæ à ven-
tis moventur, censeant Borcholt. *de Feud.* c. 6. *n.* 11.
Pensold. *in Add. ad Coler.* *P. 2. Dec.* 286. Berlich. *Concl.*
30. *n.* 13. Colleg. Arg. *I. c.* Carpz. *I. c.* *n.* 5. easque inter
res mobiles referant per d. *L.* 60. *ff. de A. R. D.* hac in
parte tamen cum ipsis sentire vix possum, cum ma-
nifeste

nifeste satis ex d. L. appareat; ICtum noti loqui de quibuslibet granariis, sed expresse de mobilibus, qualia sane non sunt, quorum stipites terræ firmiter insiti, d. L. 18. pr. ff. de Act. Em. Illa igitur molendina alata, quorum columnæ mediæ, inferiores trabes & ligna transversalia terræ adeo cohærent, ut nisi omnia dissolvantur & effodiantur aliquo transferri nequeant, in classem rerum mobilium haud sunt referenda, licet superiores partes sint mobiles & circumagi possint; Consentientem habeo Cothmannum, Vol. 3. Resp. 11. n. 17. & Resp. 12. n. 22. Philippi in Usu Pr. Inst. L. 2. Eclog. XI. itemque ad Decis. Elec. 53. Obs. 1. n. 7. Pertinent ergo talia molendina, uxore defuncta, non ad maritum, sed ad reliquos hæredes.

§. XXI.

Metallifodinarum partes, quæ hinc vulgo vocantur, olim in præjudicium liberorum aut agnatorum marito saepe, tanquam res mobiles, assignatas fuisse te. His est Carpz. P. 3. C. 25. d. 1. n. 2. & quidem ob futiles quasdam ratiunculas ex Zobelio P. 3. diff. 10. à Berlichio P. 3. Concl. 35. adductas; Contrarium tamen jamdudum in Electoratu Saxonie est receptum confirmatumque per Constit. Electoral. XXV. P. 3. hac addita declaratione, quod ipsæ quidem Metallifodinarum partes immobilibus, ipsarum vero proventus, si jam separati sint, mobilibus accensendi, quamvis etiam nondum avecti fuerint, ob sie gleich aus der Gewerfschafft noch nicht abgehöhlet.

§. XXII.

Nonnulli quoque de lignis ad construendum in-

de ædificio præparatis, quæstionem movent, an illa ad mobilia pertineant nec ne? pro cuius affirmativa pronunciarunt Jenenses A. 1640. Richterūs *P. I. decis.* §6. n. 11. idem judicium de tegulis advectis quidem, sed nondum ædificio impositis, ferendum esse docet Javolenus in *L. 18. §. 1. ff. de Act. Emt. Vend.* quod autem ab ædificio ad tempus solum separatum, animo illud reponendi, est & manet pars ædificii, e. g. si quis tabulati cuiusdam asseres removerit, post certum eorundem usum reponendos, hi nihilominus pro parte rei immobilis, ædificii nimirum sunt habendæ, arg. *L. 17. §. 10. ff. de Instr. vel Instrum. leg.*

S. XXIII.

Lecti & linteamina in se considerata esse res mobiles, vix quisquam dubitat, nihiloseius tamen ad maritum haud pertinent, eo quod ad Geradam, ut multæ aliæ species, spectent, quæ de jure Saxonico, ut notissimum, filiæ vel ea deficiente proximæ cognatæ uxoris defunctæ debetur, adeo, ut nec ipsi uxori de ea testari permittum, consequenter etiam in hoc casu libera disponendi potestas restricta sit, *Const. Elect. P. 2. c. 14.* Hoc autem, quod de lectis modo dixi, de iis solum, quæ propriis usibus inserviunt, intelligendum & non extendendum ad genus lectorum mercenariorum, qui in diversoriis publicis ad quotidianum peregrinantium usum habentur; hi enim haud æque ac alii ad Geradam spectant, *Weichb. art. 23. cum Gl. n. 24. it. ead. ad Landr. L. 1. art. 24. n. 2.* & quidem fine distinctione, sive maritus, sive uxor cauponariam exerceat, *Carpz. P. 2. C. 14. d. 37. n. 2.* hoc ipsum lesto-

rum genus haud pauci immobilibus annumerant,
quos inter sunt Heigius *qu. 15. n. 25. P. 2.* Svevius *de
Rer. & V. S. L. 2. p. 324.* Berlich. *P. 3. Conclus. 30. n. 24.*
Hahn ad *Wesenb. tit. de R. Div. n. 4.*

§. XXIV.

Nimirum sunt adhuc quædam res mobiles, quæ
à DD. vel ob destinationem ad usum rei immobilis
præstandum, vel etiam cum immobilibus cohærentiam,
pro immobilibus reputantur, fundantibus se in
L. 17. §. 7. ff. de Act. Emt. Vend. ubi *Labco* generaliter pro-
nunciat, ea, quæ perpetui usus causa in ædificiis sunt,
ædificii esse. Sed uti facile concedo per firmam
rei alias mobilis cum immobilis cohærentiam, wenn
etwas Erd, Nied ic. oder Nagelfeste ist, eandem fieri
partem ipsius rei immobilis e. g. ædificii, *L. 12. §. 23.*
ff. de Instr. ita eundem effectum nudæ destinationi su-
perius memoratæ haud æque tribui posse persuasus
sum, unde lectos tales mercenarios in censum rerum
immobilium vix ac ne vix quidem referri posse sta-
tuo. Nec obstat *L. 17. de Act. E. V.* utpote quæ, accu-
ratius inspecta, de rebus perpetui usus causa ædificio
affixis loquitur, lecti autem nequaquam cubiculis di-
versiorum affiguntur. Contrarium statuentibus
instantia dari potest non illepida de mensis, mappis,
patinis, orbibus &c. quæ oinnia non minus ac lecti
ad perpetuum usum in diversoriis asservantur, non
tamen ideo, ut ipsimet lubentes fatebuntur, immobilis-
bus accensentur.

§. XXV.

Dictum fuit superius, maritum ex Jure Saxonis

co in mobilibus solum uxori succedere, non vero in immobilibus; sed queritur, an hoc assertum indistincte locum habeat in omni casu, nec ne? Atque hic iterum Juris Saxonici DD. dissentiant, Möllerus enim ad *Confl.* 21. P. III. n. 14. & Carpz. ad *Confl.* 23. P. III. d. 24. nec in eo casu, quo uxor vel nulla, vel non sufficientia ad quantitatem in *Auth.* Præcerea C. unde *Vir & uxor.* determinatam reliquit mobilia, quicquam ex immobilibus marito, etiam inopi, adjudicant; contrarium tamen sentiunt Scneidevv. ad *tit. Inst. de hered.* quæ ab int. def. Berl. P. III. *Concl.* 29. n. 69. Stryck. de *Succ. ab int.* C. 5. Sez. 3. §. 9. Gastel in *Spec. Jur. Univ.* c. 25. n. 277. Imo eo usque procedit Richter in *Tr. de Succ.* ab int. S. 4. membr 2. n. 55. sqq. ut pronunciet indistincte sive dives, sive inops fuerit superstes maritus, partem quartam de immobilibus defunctæ uxor, si nulla reliquerit mobilia, ipsum de Jure Saxonico lucrari, intelligas tamen hoc de casu, quo nec ascendentes, nec descendentes, nec collaterales uxor defunctæ adsunt, Berlich. l. c. n. 67. cui pollicem etiam premit Struv. in *Synt. J. Civ. Exerc.* 38. th. 41.

S. XXVI.

Cæterum non solum paratam pecuniam, quam uxor defuncta reliquit, tanquam rem mobilem maritus, heres statutarius, lucratur, verum etiam aliis a muliere creditam, etiamsi ad usuras vel cambium elocata fuerit, Berl. P. 3. *Concl.* 33. n. 13. id quod etiam juris est circa pecunias certis temporum intervallis debitas, quas vulgo Tagezeiten appellamus, nec his in causibus attendendum esse, num viva uxore solutionis dies

dies venerit nec ne, expresse sancitum est in *Conſt. Sa-
xon. 23. P. 3.* Aliud tamen pronunciandum de pecu-
niā, quæ uxori à cohærede de bonis immobilibus, ex
patris matrisve aut alterius cuiusvis hæreditate, ti-
tulo familiæ heriscundæ singulis annis, aliisve ſolu-
tioni præfinitis intervallis debetur. Distinguendum
ſquidem omnino eſt, utrum viva uxore ſolutionis
dies venerit nec ne, in illo enim caſu eadē ad mari-
tūm pertinet, in hoc autem rei immobili æquipara-
tur, nec ad maritūm pervenit, juxta expressam diſpo-
ſitionem *Conſtit. Elec. 21. P. 3.* ad quam videri poſſunt
Möller & Carpz. *def. 1. 4. 5. & 6.* ubi hic aſſeverat, quod
maritus, ne quidem pro rata temporis, ſi paulo ante
ſolutionis diem deceferit uxor, vel etiam ſi inter tri-
gesimum poſt mortem uxorii dies ſolutionis venerit,
ex pecuniā hereditaria quicquam lucretur, licet id ſta-
tuat *Coler. P. 2. Dec. 286. u. 163.*

§. XXVII.

Anceps præterea & curiosa eſt quæſtio, ſi conti-
gerit, ut prædiu[m] ſub paſto retrovenditioniſ ab uxore
emtu[m] eā defuncta redimatur, an pecunia iſta mari-
to debeat? haud pauci affirmatiu[m] defendunt eo,
quod ejusmodi contractuſ ſit conditionalis, ac ideo
ejuſ resolutio debeat retrotrahi ad iſpuiſ contractuſ
initium, conſequenter retrovenditioniſ preſtium per-
venire ad eum, ad quem pertinuiſſet, ſi emtio-ven-
ditio ſub tali paſto celebrata nunquam fuiffet. Sed
proſuſ non fundata eſt hæc ratio pro affirmativa ad-
ducta, ſi quidem talis venditio non eſt ſub conditio-
ne contracta, ſed ſaltem paſto conditionali modifi-
cata,

cata, in se vero pura, ita, ut pleno jure dominium in emtorem sit translatum, unde nec retrotrahenda erit retrovenditio ad ipsura contractus initium, quod utique in contractibus conditionatis fieri affolet. Duplex tamen limitatio hic locum habet, primo enim pecunia hæc ad maritum spectabit, si pravitas usura-
ria subesse & contractus retrovenditionis saltem si-
mulatus deprehendatur. Secundo si relutionis ter-
minus vivente adhuc uxore venerit & actio retro-
venditionis instituta fuerit, atque illa solum vanis
effugiis processum retardavit.

§. XXVII.

Notanter ab initio statim dixi, regulariter uxoris potestatem in res suas de jure Saxonico restrictam adeo esse, ut nec mobilia per contractum vel multi-
mam voluntatem alienare, nec immobilia absque mariti consensu vendere possit; haud uno siquidem in casu restrictio hæc cessat, & libera uxori potestas in res suas quasi reviviscit. Generaliter nimirum id fieri dicendum est, quoties maritus contra officium suum maritale enormiter agit, toties portionem suam statutariam amittit, quæ alias restrictæ illius in uxore potestatis fons est. In specie autem dictam portionem & consequenter jus suum ex ea compe-
tens perdit, 1.) si uxori alimenta denegaverit, Carp-
zov. ad Const. El. 25. P. III. denegare autem hæc non solum is censendus est, qui expresse eadem dare re-
cusat, sed & qui ultro non suppeditat, licet etiam u-
sum fructum bonorum suorum uxori relinquat, sed
qui ad honestam ipsius & familiae sustentationem non
suf-

sufficiens sit. Omni jure enim tenetur maritus tan-
quam caput familiæ uxorem cum liberis alere, is
autem, qui denegat & subtrahit alimenta, in LL. ne-
care dicitur; 2.) Si graviter ægrotanti non de cura
& necessariis medicamentis, id quod scil. oneribus
matrimonii accensendum, prospexerit aut illam relique-
rit, *Const. 26. P. III. ad eandemque Carpz def. 1. n. 4.*
3.) si malitiose eam deseruerit vel in perpetuum, vel
ad notabile solum temporis spatium, *d. Const. 26. P. 3.*
finis enim matrimonii secundarius est individuum
vitæ consortium, 4.) si eam à se expulerit, licet
etiam justam quodammodo causam habere videatur,
nisi eam benigne iterum excipiat, *Berlich. P. 3. Con-*
cl. 30. Carpz. l. c. def. 6. Richter. Vol. 2 Consil. 446. n. 3.
5.) si uxorem falso adulterii accusaverit, *Berlich. l.*
c. n. 13. Carpz. l. c. def. 18. 6.) si ipsem et adulterium
commiserit, *Berl. Concl. 21. P. 4.* 7.) si vitæ uxoris
insidias struxerit, licet etiam eas ad effectum haud
perduxerit, *Landr. lib. 1. art. 21. n. 3.* 8.) si divor-
tium fecerit, hoc enim omnem tollit conjugum suc-
cessionem, *Carpz. l. c. def. 17.* 9.) putarem etiam,
si sit decoctor & maximam partem bonorum uxoris
jam dilapidaverit, cum vix majore illam injuria affi-
cere posset, non adeo restringendam esse uxoris
disponendi facultatem.

§. XXIX.

Id tamen controversia non caret, an etiam pro-
pter separationem quoad thorum & mensam maritus

D

por-

portione sua statutaria privandus sit? Negat id Carpzov. *I. c. def. 15.* & quidem jure meritoque ob expressa verba in *Const. d. 26. P. III.* Es wäre dann die Geschiedung zwischen Mann und Weib zu recht erkannt. E contrario Berlich. *I. c. n. 28.* itemque Richter *Vol. 2. Conf. 446.* id affirmant, in casu, quo maritus separationi causam dedit, eo, quod nemo propter suam culpam & delictum ex alterius, læsi nimirum, bonis lucrum sperare debeat, *L. 10. §. 1. sub f. ff. Sol. marim.* Verum cum indistincte adeo superius all. Constitutio loquatur, sententia Carpzovii mihi præferenda videtur.

§. XXX.

Non tamen adductis hæctenus & forsitan aliis in casibus maritus ipso jure portione sua statutaria & successione privatur, sed tum demum, si uxor's heredes id petierint. Dico hæredes, non enim consentire possum Carpzovio, qui *I. c. def. 12.* non nisi descendentes id posse statuit, omnibus aliis exclusis. Verba enim *d. Const. 26. P. III.* ut ipse fatetur Carpzovius, generalia sunt, & indistinctè de hæredibus loquuntur, quo nomine non solum descendentes, ascendentès & collaterales, quid? quod etiam extranei intelliguntur *L. 62. ff. de R. J. Wehn. in voc. Erben.* & miror Carpzovium verba hujus *Constit. Saxonicae I. c.* restringere conari ex jure Civili, cum jura statutaria quidem restringere soleant jus civile, & hinc ante omnia inspicienda, minimè vero hæc ab illo

lo restrictionem per rei & temporis naturam patiantur. Deinde etiam, dictis in casibus, maritus portionem suam haudquam amittit, si defuncta conjux injuriam sibi illatam condonaverit, propter expressum text. d. Conſt. 26. P. III. oder der verſtorbene Ehegatte hätte dem schuldigen Theil bey seinem Leben verziehen.

§. XXXI.


Tandem brevissimis adhuc coronidis loco annotare liceat, maritum juri suo in bona uxoris & usumfructum eorum, ut favori pro se introducto, renunciare posse, vel *explicite*, idque iterum *solenniter* in pactis dotalibus, *minus solenniter*, uxori, liberam sibi in res suas potestatem, sub initium matrimonii ineundi, expressis reservantī affensum, quovis modo id fiat, si saltem probatio non deficiat, præbendo; semper enim inspici debet, quid inter contrahentes matrimonium actum fuerit t. t. f. de Paſt. Dotal. & C. de Paſt. Conv. Carpzov. Conſtit. 25. P. 3. d. 13. vel *implicite*, concedendo e. g. ut uxor usumfructum percipiat, nullis etiam sibi redditis rationibus accepti & expensi, ut id, quod ultra impensos sumptus quotannis superest, sub custodia & dispositione uxoris libera remaneat &c. Quicunque enim iure suo & privilegiis, data scil. occasione uti potest, & tamen non utitur, illis renunciasse censetur; præterea non ignotum est illud brocardicum juris, quod, qui præsens est negotio aliquo in præjudicium ipsius suscepto, & ita contradi-

tradicere potest, neutquam tamen contradicit, consentire videatur.

Veniam autem à B. L. me facile impetraturum spero atque confido, quod tam strictim de hoc Restrictæ Mulierum potestatis themate h̄c egerim, siquidem satis restrictum fuit temporis illud spatiolum, quod heic elaborationi hujus dissertationis impendere mihi licuit: utique enim & plura & magis exasciata de hac materia in medium afferre libuisset, nisi temporis angustia & adhuc aliis circumstantiis impeditus fuisset, poterunt autem ea, quæ degustavi saltem, aut etiam plane omisi, hinc inde ex LL. & DD. evolvi.

FINIS.





Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Q.K.182.7
DISSE^TAT^O IN^AUG^RALIS JURIDICA,
^{DE}
RESTRICTA
PER JUS SAXONICUM
MULIERUM IN RES SUAS
POTESTATE,
MAGNIFICO UNIVERSITATIS RECTORE
REVERENDISSIMO ET PERILLUSTRI DOMINO
DOMINO
DN. JO. JOACHIMO HAHN,
DEI & Apostolice Sedis Gratia Episcopo Metropolitano,
Per Thuringiam, Hassiam & Eichsfeldiam, Eminentissimi ac Cellissimi Archiepiscopi & Principis
Electoris Moguntini in Pontificalibus Vicario Generali, ejusdemque Archi-Episcopalis Curia
Pro-Vicario Generali, SS. Theologiae & Juris Utriusque Doctore, Protonotario Apostolico
Comite Palatino, Insignium Ecclesiarum Collegiarum ad Gradus B. M. V. & ad S. Joannem
Moguntiae respective Scholastico, Canonicu Capitulari, &c reliq.
ANNUENTE AMPLISSIMO JCTORUM ORDINE
IN ALMA ET PERANTIQA HIERANA,
EJUSDEMQUE
AUDITORIO COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSVENTIS
DIE XX. NOVEMB^RIS, ANNO M DCC XXI.
PRO LICENTIA
SUMMOS IN UTROQVE JURE HONORES,
NEC NON
PRIVILEGIA DOCTORALIA LEGITIME CONSEQUENDI,
PUBLICE DEFENDET
JOANN. GODOFREDUS Fischer
Lipſiensis,
Advocat. Immatric.
ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

